

(11. Nov.) Ab hac die Martini usque ad 24. caliditas summa et siccitas et postea summa frigiditas et gelu et ita apparuerunt vinee et arbores (ein Wort verkratzt), quod post (zwei Worte verkratzt) frigiditatis combuste sunt et hoc fuit retro (?) gradationem sagittarii dicti (?) anni.

(21.) Hac die una hora post meridiem fuit virgo contraria Veneris et lune et fuit Venus contra libram eclipsata et cooperta corpore lune prope occasum per dimidiam lanceam super orientem et erant ambo in 16^o gradu piscium in Ianuario (?).

1361.

Hoc anno 18. die Februarii apparuerunt ignite exalationes (darüber: inflammationes) in aere in parte septentrionali latissime a terra usque super polum valde et longissime ab auriga, que precedit primum equum urse maioris usque ad tantam distantiam a polo, et erat rubeus aer valde, quasi esset ignitus, et apparuit istud in secunda hora noctis, que fuit hora Saturni et nox tunc et eciam similiter apparuit hora quarta, que fuit Martis et similiter in hora solis in fine et ascendebant primo virgo postea libra, et aparuit hic Leodii, ubi morabar, et per partes Alemanie et Francie septentrionalis.

1364.

A principio Ianuarii usque ad finem Marcii duravit hiemps frigidissima cum gelu et nivibus, et flaverunt venti septentrionales semper et continue; a principio Iulii flaverunt venti occidentales et fuit aer satis temperata.

In secundo die mensis Aprilis hora consistorii fuit dominus Englebertus episcopus Leodiensis promotus ad archiepiscopatum Coloniensem.

(15.) Hac die Iunii fui percussus de lapide in capite et vulneratus hora post vespervas cantatas Leodii primo gradu sagittarii ascendente.

(33.) Hac die Iulii¹ intravit dominus Ioannes episcopus Leodiensis primitus civitatem Leodiensem et fuit intronizatus eadem die hora quasi sexta ascendente cum Saturno 16 gradu libre.

1) Es stand: 'Augusti'.